



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Epiphania Domini. 6. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem aspersit. *Ex Surro.*

*Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium indumentorum coram Domini arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Iust. lib. 1. de Humilitate.*

## EPIPHANIA DOMINI. 6. Ian.

**S**alutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principem suum cælo delapsi cives, aulamque nati Reges quotidie deinceps frequentabant. Sed & orcus rebellis hucusque metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum suum supplices agnoverant; ut jam aliud nil restaret, quam ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis universus se componeret, tres è regnis suis exciti magi magnis itineribus Bethlemlum contendunt, sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem stellam dare, & fallere, & falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter



24 VITÆ SANCTORUM. 6. Ian.  
se Regem ullum quæri indignatus, bar-  
bara animo jam tum concepit consilia,  
mox sanguinem, neces, orbasque ma-  
tres paritura. Aulicis tamen artibus ap-  
prime instructus dolos dolis texit, & ut  
noceret, amare se finxit, ut perimeret  
adoraturum se hostem etiam ipse pro-  
misit. Subhæc à Magis, fidere iterum an-  
te ambulone, Bethlemium perventum.  
Ibi confidens stella, velut adventum gra-  
tulatura, hospites Reges è tecto saluta-  
vit. Extemplò ingrediuntur, Regumque  
Regem in throno suo præsepi, sapien-  
tiam in infante, in homine Deum ado-  
rant: addunt deinde tributa, opes pere-  
grinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam  
aliam in regna avita dux somnus dor-  
mientibus ostendit: sed sic idem hic vigi-  
lantem Herodem delusit. *Ex hist. Evang.*

*Sicut Magi de thesauris suis Mysticas  
Domino munerum species obtulerunt, ita  
& nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt  
digna, promamus. S. Leo l. 2. de Epiph.*

#### S. ANDREAS CORSINUS.

6. Januarij.

**A**NDREAM CORSINUM parentibus MA-  
GNA VIRGO donavit, cum illi prius  
eundem ex voto necdum natum eidem  
donassent. Videbatur sibi mater utero  
lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gra-  
tissimâ metamorphosi in oviculam  
abiret.